



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 14. Deum ante omnia colendum atq[ue] honorandum esse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

Esther. 3.
4.

Luc. 18.9.

centum octoginta millia occiderentur ab Angelo. Ita Aman Mardocheum despiciens, in ipso patibulo suspensus est, quod Mardocheo exadificauit. Ita Phariseus præ se humilem Publicanum cæterosque homines contemnens, tantum à Deo infra Publicanum deiectus est, quantum supra eum se se extulit. Adeò neminem decet aspernari, & omnes, suo modo conuenit honorare, et si non reuereri: etsi enim superiores inferiores, immò & Deus homines honoret; non tamē eos reueretur, cū nomine reuerentiæ submissio erga alterū, & agnitio tamquam maioris intelligatur.

§. XIV.

Deum ante omnia colendum atq; honorandum esse.

14. Quod si omnes honorare oportet, ergo & DEVM, & quidem ante, ac supra omnes. Ille enim est parens, ille præceptor & doctor, ille senior quia æternus, ille animæ nostræ sponsus, ille dominus, ille benefactor; omnium rerum gnarus, ille nos vocat amicos suos, ille magistratus supremus, ille cui omnia sacra consecrantur, ille Sanctus Sanctorum. Habet ergo omnes titulos & causas honoris illi exhibendi, & gloriæ
in

in illum referenda. Quod quidem Angeli in cælo faciunt, perpetim clamantes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius.* Neque Angeli tantum, ait enim Ioannes: *Et vidi, & audiui vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & seniorum: & erat numerus eorum millia millium, dicentium voce magna: Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.* Hoc omnes beati in cælo facient in omnem æternitatem. Quod se quoque sperant facturos, quicumque, in hac vita, omnia ad maiorem Dei gloriam, negotia incipiunt, continuant, finiunt. Ille enim vt principium est, ita & finis debet esse omnium bonarum nostrarum actionum: *Ego sum, a. & w. principium & finis, dicit Dominus.* Hinc merito dicitur: *Afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini eius, adorete Dominum in atrio sancto eius,* hoc est, in terrâ, quæ est atrium, è quo Sancti in aulam cælestem intrant. In hoc atrio identidem cantandum est: *O veritas mea, & misericordia mea, Deus meus,*

Isa. 6. 3.

Apoc. 4. 11.

Vide supra, c. 2. §. 9.

Apoc. 1. 8. Psal. 28. 2.

Thom de Kemp. 1. 3. de imit. cap. 40.

N 3

Trini-

Vide supra cap. 4. de gloria Deo danda.

Cap. XI. Cur saepe tam bonis,
Trinitas beata, tibi soli laus, honor, virtus, &
gloria, per infinita saeculorum saecula.

C A P V T X I.

Cur non solum malis, sed etiam saepe bonis
honores negari, vel auferri diuina
providentia patiatur?

§. I.

Perire honorem, qui indignis tribuitur.

HAcilè quisquis honoratur, quiescit, siue dignus sit eo honore, siue indignus: haud ita facilè, cui honor negatur. Itaq; non inscitè He-

Cic. lib. 3.
Tuscul.
99.

racleotes Dionysius ad ea disputat, quae apud Homerum Achilles queritur, hoc, ut opinor, modo.

Corq; meum penitus turgescit tristibus iris,
Cum decore atque omni me orbatum laude
recordor.

Num manus affecta rectè est, cum in tumore est? aut num quodpiam membrum tumidum aut turgidum non vitiosè se habet? Sic igitur plerumque aegritudine laborant, qui se se vident honore destitutos. Itaq; sanandi sunt. Quamquam non solum aegrotant, qui se se vident esse sine honore, sed etiam in vitio est illo